



LOGICORUM

LIBER OCTAVUS,

De

METHODO.

Cap. 1. Methodus inventionis.

Sequitur methodus, quæ est instrumentum dia-
 noëticum, quo res diversæ secundum prius &
 posterius ordinantur, ad rerum cognitionem in
 suo genere perfectam adipiscendam.

**Vocabulum
 methodi
 explicatum.** In hac definitione considerabimus definitum, genus, & dif-
 ferentiam. *Definitum* est Græcū, quod si interpreteris, trans-
 itum ab uno ad aliud significabit. Aliter autē à Rameis, ali-
 ter à Peripateticis accipitur. Rameis quidem methodi vox à
 syllogismi voce distincta est. Quibus iisdē & ordo à metho-
 do distinguitur. Methodus enim est propter ordinem; ut ex
c. 17. lib. 2. Dial. Rami colligitur. Methodus nimirum est ipsis
 præceptum, pro ordine in disciplinis efficiendo. *Talæus ad d. l.*
 Itaque methodus efficientis rationem, ordo autē effecti subit:
 vel methodus mediū, ordo finis est, pro diversâ cōsideratio-
 ne. Interim ordinis vox & Rameis non infrequēter pro me-
 thodo capitur. *Talæus d. l.* Peripateticis autem methodi vox
 duobus accipitur modis; generatim & speciatim. *Zabar. 1. de
 meth. c. 2. 3.* Generatim accepta methodus nihil est aliud, quā
 transitus ab uno ad aliud, ad rerum cognitionem adipiscen-
 dam. *Idem d. l.* Et ita ordinē, & methodum in specie sic voca-
 tam comprehendit. *Ibid.* Ordinis officiū est, unum ex alio de-
 ducere sine ullā vi syllogisticā. *Idem l. 2. de meth. c. 18.* Metho-
 di autē officium est ratiocinari, & nihil aliud quā syllogi-
 smus. *Id. d. l.* Confer *Crelliū in isag. Logic. part. propr. l. 1. c. 12.*
 ubi inter alia sic scribit: *Quia methodus dicitur respectu scien-
 tiarum, & contemplantis philosophiæ, cui tota Logica manci-
 pata est (in hac enim propriè transitus ille fit, qui vim demon-
 strandi habet) iccirco peculiari ratione & per excellentiā de-
 monstrativo syllogismo conuenit.* Sic ille. Cæterum ordo cum
 methodo